



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

Duodecimum instrumentum custodia regulæ, & prio quanti momenti sit ad  
virtutes habendas. Cap. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



Apost. 7.  
40.

Hæc ille. Nec sola huius doctoris auctoritas dicit eos reuerti in sæculum, qui ad eius negotia redeunt, verum & scriptura ipsa clare significat. Nam Stephanus de eisdem Israelitis loquens in Actis, ait: Moysi voluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt, & auersi sunt cordibus suis in Ægyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos. Est ergo duplex reuersio in Ægyptum: altera, qua quis reuertitur corpore simul & corde; altera, qua reuertitur tantum corde. Corpore simul & corde in sæculum redeunt Apostata, qui sancto habitu religionis relicto, & sacra professione contempta, Deo moriuntur, ut rebus sæcularibus & profanis viuant. Corde tantum redeunt tepidi & ambitiosi, qui habitu, & propria professione retentis, sæcularia, quæ spreuerant, repetunt, & quæ noxia iudicauerant, iterum ut sibi conducibilia resumunt. Hi Moysi, id est, Prælati monitis salutaribus, quibus ad studia spiritalia reuocantur, non acquiescunt. Huius mundi tenebras luci status sui, & inquietudines aulicorum suæ quieti præponunt: & quasi contempto vero Deo, idola, quæ se præcedant, expetunt. Vetè enim, ô frater, Deum contemnis, cum obedientiæ Prælatorum obstitis, cum sancti status tui sinceritatem obscuras, puritatem fuscas, & integritatem labefactas; cum ex fratribus tuis quosdam scandalizas, alios verò ad tuam vitam aulicam, & religioso indignam, tuis exemplis petrahis; cum demum sæculo, & principibus huius sæculi diligentissimè famularis; & rebus diuinis tepidè & oscitanter intendis. Et verè ante idola procumbis, cum ima summis, inutilia proficuis, & terrena cælestibus præfers. Ac ideo si cupis virtutes tui status proprias acquirere, & vitam religiosam excolere, & in extremo die debitam rationem Deo reddere, hæc inania, & à tuo statu aliena desere, & vitam regularem, virtutum matrem, diligenter obserua.

*Duodecimum Instrumentum: Custodia regulæ, & primò quanti momenti sit ad virtutes habendas.*

## CAPVT VI.

Galat. 6.  
16.

**D**OSTREMYM ad virtutes acquirendas instrumentum, regulæ exactissimam custodiam esse putamus; cuius præstantia ad obtentionem omnis virtutis, ut nobis possit esse perspecta, tantisper nos in sui contemplationem occupatos tenebit. Ordinem autem hoc argumentum ab eo loco Pauli, à quo Diuus Bonauentura regulæ Seraphici Patris Francisci expositionem incepit: Quicumque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos & misericordia, & super Israel Dei. Quibus verbis Apostolus regulæ nomine Christianam doctrinam, Galatis à se expositam & enucleatam significat. Sed nos cum Doctore illo sapientissimo ad speciales religiosarum familiarum regulas locum istum applicamus, & meritò; quoniam in his regulis Christi doctrinam perfectius expositam, quam sæcularibus tradi solet, & consiliorum Euangelicorum exactissima obseruatione, magis (ut ita dicam) expolitam esse perspicimus. Harum regularum sequela, diligensque custodia pacem & misericordiam affert his, qui ex eo quod per mundi contemptum, & altioris status professionem Domino consecrantur, meritò dicuntur Israel Dei. Illi enim sunt Israelitæ, non

**A** carne, sed spiritu, non numero, sed merito; qui ex eo quòd à se terrena abdicant, Deum subtilius, quam alij communes homines, contemplatione vident; & quia sæculum, & carnem, & diabolum, ac vno nomine seipsos vincunt, cum Deo fortes existunt. Ut autem pateat, quæ ad istos pax, & quæ misericordia ex custodia ac sequela regularum obueniat, illud intelligamus oportet de actibus virtutù dari, omnemque mandatorum obseruationem, atque omnem perfectionem continere. Cuius veritatis cognitio, non ex aliqua auctoritate, aut ratione, sed ex ipso experimento, & ex ipsarum regularum lectione petenda est. Nam quis, rogo, sanctorum patrum, qui statum religiosum fundarunt, scita legat, qui non in eis virtutes vniuersas, aut mandatas, aut in rebus, quæ non sunt in præcepto consilio, traditas & persuasas aspiciat? Basilus in suis regulis quid præcipit? Charitatem aduersus Deum, amorem erga proximum, timorem Dei, secessionem à turbis quietem cogitationis, discretionem, rerum temporalium abdicacionem, & alia similia multa, quæ in suis regulis suis tractatis non sine admiratione legimus, non sine mentis ædificatione veneramus. Augustinus in sua, quam multe sanctæ religiones profitentur, regula, quid mandat: Primùm, inquit, propter quod in vnum estis congregati, ut vnanimis habitetis in domo; & sit vobis anima vna & cor vnum in Deo. Deinde præcipit humilitatem, orationem, ieiunium, modestiam, correctionis admissionem, offensæ condonationem, & alia huius generis, quæ non sine magna exultatione relegimus. Benedictus in sua regula luculentissima, quam etiam plurimæ ex familiaribus religiosis obseruant, quid iniungit? Deum, & proximum diligere, decalogum custodire, corpus castigare, delicias non amplecti, pauperes recreare, nihil amoris Christi præponere, veritatem ex corde & ore proferre, iniurias sustinere, omnes vitæ actiones expendere, & alia multa, quæ licet hic non referamus, ad virtutum perfectionem spectare cognoscimus. Franciscus, quid à suis sectatoribus obseruandum esse decernit? Totum Euangelium. Nam regula, & vita fratrum minorum hæc est, Domini nostri Iesu Christi sanctum Euangelium obseruare, viuendo in obedientia sine proptio, & in castitate; & postea multa alia ad altissimam perfectionem pertinentia illa viuua imago Iesu Christi crucifixi latè persequitur. Quid tandem, (ut alios sanctissimos religionum Patres omittam) Ignatius noster à nobis seruandum esse præscripsit? Hæc inter alia: ut propriam perfectionem & proximorum etiam impensè quæreremus: ut parentes, fratres, & cognatos in Christo, & propter Christum tantùm diligentes, quod ad res mundi attinet, sancto odio prosequeremur: ut ab omni factu, & huius sæculi honore, & ostentatione abhorreremus: ut generalem quandam in omnibus mortificationem profiteremur: ut purissimam intentionem in rebus etiam minimis haberemus: ut sincerissimam paupertatem, Angelicam castitatem, & promptissimam obedientiam sectaremur: ut iugè studio orationis, ac diuinæ præsentis exercitatione Deo iungeremur: ut fidem Catholicam inter hæreticos & infideles, nec non & diuinorum mandatorum custodiam inter peccatores seminaremus: ac tandem ut Christi Iesu perfecti imitatores in vtraque vita, tam actrice quam contemplatrice, efficeremur. Hæc omnia, & alia huiusmodi constitutiones nostræ exigunt, quas quidam attentè legens, scopum, ac finem earum his notandis verbis expressit. Homines mundo crucifixos, & quibus mundus ipse sit crucifixus, vitæ nostræ ratio nos esse

postulat:



postulat: homines, inquam, novos, qui suis se affectibus exuerint, vt Christum induerent, sibi mortuos, vt iustitiae viverent. Qui, vt Diuus Paulus ait, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis se Dei ministros exhibeant. Et per arma iustitiae à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, per prospera denique & aduersa magnis itineribus ad caelestem patriam & ipsi contendant, & alios etiam, quacumque possunt, ope studioque compellant, maximam Dei gloriam semper intuentes. Manifestum est ergo, coetuum religiosorum tum institutiones, tum regulas, actus virtutum, siue in praecepto positos, siue consiliis Euangelicis contentos, praescribere.

Nec putandum est, ineptè sanctos religionum Patres à Domino praecepta, aut consilio exposita, suis regulis statutisque mandasse: id enim fecerunt, vt diuinae vocationi cooperarentur, & humanae ignorantiae consulerent. Nam praecepta, & consilia Euangelica magnam latitudinem habent, & intra suam obseruationem mitius quosdam & alios seuerius astringunt: Decuitque vt quisque iuxta vocationem suam, ex propositis sibi institutis agnosceret, quemadmodum ea debeat custodire. Vnius tantum virtutis exemplo intelligemus, quod dicimus. Praeceptum castitatis, iuxta exigentiam status, aliter atque aliter est à diuersis obseruandum. Coniugatus namque illud obseruat, si propria vxore contentus, tum opere, tum corde, omnibus aliis ablineat. Religiosus solitarius custodit, si omnino à deliciis temperet, & ieiuniis, ac vigiliis, ceterisque castitatis instrumentis se impollutum Deo & illibatum exhibeat. At religiosus inter homines viuens, & animarum curam ex charitate gerens, ad aliquid amplius niti debet, vt nimirum Angelicam habeat puritatem. Vt quemadmodum custodes Angeli, qui inter homines carnem gestantes discunt, nullo carnis odore tanguntur: ita huiusmodi religiosi (& idem de statu clericali feratur iudicium) ad tam sublimem castitatem aspirent, & tam ex corde spurcitas carnis exhorreant, vt si fieri possit, & sibi à Domino concedatur, nullo, qui vel leue peccatum sit, cum foeminis cautè & ex necessitate conuersantes, motu tangantur. Si in diuersis tam diuersus est castitatis modus, necesse fuit, vt singulae religiones praeceptum castitatis non promulgarent, sed exponerent, vt earum professores ad quem castitatis gradum iuxta perfectionem sui status niti debeant, agnoscerent. Virtus etiam est sicut pannus sericus, ex quo multi diuersarum conditionum se vestiunt. Ex eodem enim serico aliter induitur mas, aliter foemina: aliter adolescens, aliter senex: Ita prorsus ex humilitate, verbi gratia, aliter se ornat, qui à mundi honoribus elongatus degit; aliter qui mundi honoribus, & populi laudibus, & acclamationibus cinctus viuit. Illi ea humilitas satis erit, quae honores non ambiat, isti omnino ea necessaria est, quae saeculi honores oblaros rideat, & fugiat. Ergo oportuit, in quaque religione regulas & statuta conscribi, quae perfectionem humilitatis & reliquarum virtutum, iuxta mensuram propriae vocationis, explicarent, & quasi ex virtutis magna latitudine cuique vestem accommodatam affluerent. Omnes religionum Patres, institutione & vitae conuersatione quasi vnum Christum efficiunt, quem profecto sequuntur, cum secundum vocationem ad quam adducti sunt, in virtutibus suos filios instituunt. Ille quidem per se-

A ipsum non eadem, sed diuersa homines docuit, iam in monte documenta perfectionis aperit; iam per condescensionem pro sanandis infirmis ad inferiora descendit. Quod factum hoc non vacasse mysterio, egregiè Beda proficitur his verbis:

Quod autem subiens in montem Iesus, ibi sedebat cum discipulis suis, sed veniente ad eum multitudine descendit, atque hanc in inferioribus refecit, quam in superioribus paulo ante curauerat, nequaquam frustra factum credamus; sed ad significandum mysticè, quia doctrinam, & charismata sua Dominus iuxta recipientium capacitatem distribuit, infirmis adhuc mentibus, paruulis spiritu simpliciora monita committens, & apertiora credens sacramenta, celsioribus autem quibusque, & perfectioribus sensu secreta sua maiestatis arcana referans, altiora deuotè conuersationis itinera suggerens, & altiora praemiorum caelestium dona promittens. Denique cuidam sciscitanti, quid faciens, vitam aeternam possideret, quasi inferius adhuc posito communia suae dona largitatis impendit, dicens: Honora patrem tuum & matrem. Cui postmodum maiora quaerenti, & velut ad montem virtutum ascendere cupienti: Si vis, inquit, perfectus esse, vade, & vende quae habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in caelo, & veni, sequere me. Cuius discretionem moderaminis non per se solum Dominus in carne docens exhibuit, verum nunc quoque per verbi sui ministros exhibere non cessat. Vnde iisdem sub vnus boni serui persona testatur, quia dare debeant conseruis in tempore trititiae mensuram, id est, pro capto audientium opportunè & mensurate verbi dapes suggerere. ] Haec ille. Sed quod Dominus per se ipsum fecit, & per praedicatores nunc facit, per religionum etiam Patres, tanquam per eos, qui vitam ipsius delineare curabant, manifestè perficit. Vt scilicet alter eorum, vnum genus studiosae vitae, alter aliud genus seu modum perfectionis arripere, & illum suis sectatoribus sequendum proponeret. Quare necesse fuit, praecepta, & consilia Euangelica, vniuersumque instituto accommodata, variis regulis & institutionibus explicare.

Ex his manifestum est, statutorum obseruantiam, regulaeque custodiam, maximè ad virtutes obtinendas adiuuare. Regulam namque custodire, nihil aliud est, quam paupertatem, castitatem, & obedientiam sectari, humilitatem, patientiam, & mansuetudinem sequi, contemptum factuli, charitatem fraternitatis, amorem erga Deum, & virtutes reliquas exercere, peccata, & foemina peccatorum, & imperfectionum, quae regula prohibentur, relinquere. His autem virtutum actibus ipsi virtutum habitus generantur, & promouentur: nec aliud esse potest, regulam obseruare, quam virtutes vniuersas ad augmentum & perfectionem adducere. Regula quidem est norma (si eius primam significationem inspiciamus) qua lineas rectè ducimus, & in destinatum punctum dirigimus. Inde verò ad praeceptiones religiosas hoc nomen translaturum est: quia vt actiones nostras velut lineas quaedam in Deum, finem nostrum, ducamus, his praeceptionibus quasi regulis, ne exorbitent, attentè metimur. Haec praecepta, inquit Hugo Victorinus, de regulis Augustini loquens, ideo regula appellantur, quia videlicet in eis nobis rectè viuendi norma exprimitur. Regula autem dicitur, eo quòd rectè regat, vel quòd rectè doceat. Et Bonauentura: Regula di-

D

E

Beda ad  
Ioan. 6. in  
illud: Post  
haec abiit  
Iesu.

Hugo. ad  
reg. Aug.  
c. 1.  
Bonau. in  
reg. D.  
Fran. 1.  
c. 2.

citur,



citur, eo quod recte ducitur; rectum autem est, quod non exit ab extremis. Vnde si regula actiones religiosi diiigit, & rectas efficit, non dubium, quin eas in alicuius virtutis ratione constituat. Quod certe bene pensum ac consideratum, maxime incitare deberet, ut regulas diligentissime custodiamus. Nam ut quid, quasso, cognatos, amicos, diuitias, honores, voluptates, seculum, & secularia omnia, & quod amplius est, propriam voluntatem & nos ipsos reliquimus? Nonne quia intelleximus inter omnia ista, nos non posse rectitudinem actionum seruare, & malimus illis carere, quam a virtute deficere? Quae ergo dementia erit, sanctissimas praecipiones frangere, & prudentissima sanctissimorum Patrum iussa praeterire, quibus abiectis rectitudinem, quam omnium rerum dimissione quaerebamus, abiicimus, & animae pericula, ac vitiorum monstra, quae fugiebamus, retinemus? Qui aliquam artem addidit, si praecipiones artificum illius artis non seruet, nequaquam peritus eius euadit: & qui vitam spiritualem, & virtutes, ex quibus coalescit, inquirat, a praecipionibus vitae spiritualis exorbitans, & virtutum regulas deserens, nunquam eas obtinebit. Sunt regulae veluti catena, compedes, & vincula, quae nos, cum curebamus ad malum, teneant, & ne in praecipis iremus, in spirituali statu ligant. De quibus accipi potest illud Iob: Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti: Christus enim nos seruos suos, a se per peccata fugientes, non ex necessitate, sed ex amore quaesuit, & in hunc sanctissimum statum quasi in carcerem coniecit (o felicissimum carcerem, & palatii regum amabiliorem!) & in eo, ne iterum ad vitia & iniquitates reuerteremur, regulis, quasi compedibus & vinculis, religauit. Ibi vias, id est, actiones nostras obseruat, & vestigia pedum, id est, affectuum motus & desideria, considerat, ut si velimus a carcere exire, & ab his amoris vinculis liberari, per noua gratiae auxilia nos teneat. Ab his ergo compedibus expediri, non est aliud quam in peccata & defectus labi; in eis vero permanere, est vitam studiosam virtutibusque referentiam possidere. Licet enim regula hac ratione neruus sit, id est, praecipium, quod, ut Thomas & Lyra interpretantur, quasi catena nos ligat, ne in malum curramus: tamen in alia significatione, quae huic loco non congruit, neruus est, quia virtutum actiones praecipit, quae nos ad honestum sectandum corroborant. Dominus namque per Ezechielem ossibus aridis promittit, dicens: Et dabo super vos neruos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam in vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & viuētis. Nerui hoc loco virtutes signant, ut ex Gregorio colligitur, & ideo merito pro regulis, virtutes praecipientibus, accipiuntur, quibus nobis supernè datis, & mollis caro, benignitatis & modestiae cutis, & spiritualis vitae spiritus nobis videtur esse concessus. Regula ergo est neruus; & neruus, vinculum, quod nos a malo tenet; & sensus, ac motus spiritualis instrumentum, quod ad bonum operandum impellit. Quare nunquam a bonitate ac virtute deficiet, qui regulam fortiter diligentique custodit.

Sunt regulae, quae nos vndique cingunt, & muniunt, ne gratiam virtutisque perdamus. Liceat

A enim nobis, ista locum de Ecclesia pronunciatum, ad selectiorem Ecclesiae partem, id est, ad statum religiosum, applicare. Quid ille ait? Vrbis fortitudinis nostrae Sion Saluator, ponetur in ea murus & antemurale. Merito sane in hac vrbe Sion statum religiosum intelligo. Nam siue Sion speculam, siue acervum significet, optime eius notio in religionem quadrat, quae & locus edius est, ex quo videmus mala, & acervus, in quo multa possidemus bona. Est specula, quia ex ea, tanquam ex altissima professione, saeculi mala conspiciuntur, ut ab eis caueamus: & est acervus bonarum actionum, donorum caelestium, & sanctorum exemplorum, quibus ad similia periuuamur. Est vrbs fortitudinis nostrae, quae a carnis scditate nos protegit, & a daemonis illusionibus, & saeculi ambitione defendit. Haec vrbs Saluator est, quia est imitatio perfecta vitae Saluatoris, quem profecto imitamus, cum hunc statum moribus proficimur. Saluator est, quia inde status noster robur & fortitudinem habet, & ex eius placito totus pendet. Hanc urbem murus cingit, & murum ipsum antemurale custodit. Murus, est lex omnibus data fidelibus, quae etiam nos obligat, & quodammodo strictius obligat, quia aequum est, ut in sublimiori statu positi, & ab occasionibus frangendi eam magis elongati, ipsam perfectius impleamus. At antemurale sunt regulae, quas qui diligenter implet, tuetur murum praecipitorum, & vitam seu imitationem in se Saluatoris obseruat. Qui enim opera perfectionis a regulis mandata praestat, quam longissime abierit a mandatorum transgressione. Qui sua pro Christo relinquit, aliena non cupiet, qui minimam cogitationem minus honestam abigit, nefarium desiderium non admittet: qui propriam voluntatem in magnis & in minimis abnegat, nunquam pro impinguanda propria voluntate, a mandatorum obseruatione discedet. Sunt ergo regulae bene custoditae, quae nos in omni virtute continent, & a vitis alienos faciunt; quas si oscitanter praetereamus, & haec minora contempnamus, paulatim forsitan ad mandatorum transgressionem procedemus. Id namque sonant verba illa Ieremiae: Luxitque antemurale, & murus pariter dissipatus est. Et sane si antemurale non luxisset, & sancta status nostri regula illigata permanisset, nunquam praecipitorum murus ruina & excidio appropinquasset. Quin & haec regularum praecipionumque custodia, alia ratione ad virtutes obtinendas iuuat, quod facilem reddit viam diuinorum mandatorum. Nonne qui assuevit quotidie mille passuum iter conficere, facillime viam quingentorum passuum percurret? Nonne qui ad multos annos pane & aqua se refecit, sine vilo labore piscibus & moderato vino appetitui satisfacit? At qui semper sedet, post modicum in itinere deficit: & qui semper pinguibus & delicatis vescitur, minime piscibus & pane cibario sustentabitur. Ita sane, qui a se momentis singulis opera perfectionis exigit, qualia sine vlla dubitatione praescribunt regulae, facile sibi persuadent obseruantiam mandatorum. Fietque sibi facilis virtus praecipita; quia assuetus est, virtutis gradum sub consilio relictum obseruare. E contra vero qui in saeculo adeo est delicatus, aut potius imperfectus, ut sola maiora mandata custodiat, & de cetero minime ad alia altiora se adigat, is aliquando a maioribus excidet, & in legis obser-

Ier. 26. 1.

Thren. 2. 8.



Matt. 19.  
23.  
D. Thom.  
quodlib.  
4. art. 23.

uatione deficiet. In quo sensu Beatus Thomas Aquinas illam Saluatoris sententiam exposuit: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum caelorum. Quia difficile est, inquit, quod homo praecepta seruet, quibus intratur in regnum, nisi sequens consilia, diuitias relinquat. Sunt ergo regulae quasi rotae, quibus expeditissime viam mandatorum peragimus: sunt quasi pennae, quibus ad fastigium perfectionis euolamus: sunt quasi reconditoria, in quibus virtutum thesauros possidemus.

Cant. 4. 4.

Alia etiam ratione regulae virtutum augmento proficiunt, quia nos a multiplici tentatione defendunt. Sunt illae quasi clypei, quia eas telis aduersariorum obicimus, ne percussis aliquo crimine pereamus. Non incongrue sane religiosae vitae accommodare possumus illud Canticum: Sicut turris David, collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendunt ex ea, omnis armatura fortium. His sponsus Ecclesiam alloquitur. Ecclesiae autem collum, sit religiosus status, quoniam sicut collum solum caput supra se habet, sic hic status solum statum capitum, id est, Episcoporum, superiorem agnoscit. Hic status comparatur turri, illi nimirum magnae & eminenti, quam Rex David in monte Sion, ad hostium impetum retundendum, extruxerat: nam & in sublimitate perfectionis fundatus est, & ad prosternendos aduersarios mentis inuentus. Huius propugnacula, sunt viri perfecti, qui dum ceteris eminent, suum hunc statum exornant, & dum illum a primo feruore labi non sinunt, ipsum vndique communiunt. Clypei autem ex turri pendentes sunt regulae, quia ipsae istibus tentationum obiectae, & per exactam observationem huius saeculi pompis oppositae, illas salubresque custodiunt. Qui itaque his clypeis ad suam defensionem vitur, & eorum impletione se protegit, peccata vitabit, tentationes vincet, & in omni virtute proficiet. At notanda est vis diuini sermonis. Mille clypei, inquit, pendunt ex ea, nempe ex religione ipsa: quae cum nihil aliud sit, quam religiosorum congregatio, liquet, quoniam ex ipsis regularum clypei dependent. Ex nobis ergo pendet, quod regula vigeat, quod religiosa disciplina non pereat, quod munimenta status nostri non cadant. Quare si regulas nostras fregerimus, non solum multiplicitas virtutis pauperes erimus, verum & tanti detrimenti a nobis illati rationem reddemus. Si rex, o serue Dei, arcem ad tutamen regni aedificaret, & vario genere armorum instrueret, seruis autem eius eandem arcem solo aequaret, armaque confringeret, esset morte dignissimus. Vide tu quali poena plesteris, si clypeos huius turris, a Deo extructae, id est, regulas, destruas, & turrim ipsam, id est, religiosam professionem, quae sine exacta observatione stare non potest, in perditionem adducas. Deus miserationes suas in nos effundens, nos ad vitam religiosam vocauit: quod ex conuersatione a peccatis aliena, & in sanctis operibus occupata, quorum Deus auctor est, manifeste perspicitur. In hoc autem statu regularum clypeos dedit nobis, quibus spiritualem vitam tueremur, & pro vitis deiciendis, & virtutibus acquirendis pugnamus. Non licet ergo nobis haec arma spiritualia postmittere, sine quibus nunquam victoriam comparabimus. Auxilium Domini nobis ad vincendum & proficiendum adest, verum est, sed si armis ab eo assignatis decretisque pugnemus. Si vero ea arma (quae non sunt alia, quam regu-

lae) ociosa habuerimus, auxilium efficax, & specialissimum aberit, quo absente victoria & profectus abscedet.

Ista regularum custodia a nobis exigitur, ut omnis virtus in mentibus nostris augetur, ad quam rem astringendam, non alium testem, quam cuiusque conscientiam adduco. Si enim singulos religiosos interrogemus, quam ratione putant se posse ad perfectionem ascendere, sine vlla hesitatione fatebuntur, viam perfectionis non aliam sibi esse, quam regulae praeparationumque custodiam. Non igitur vult in omni sanctitate promoueri, qui non vult in regulae observatione proficere. In hac vnusquisque nullo docente suam vitam intuetur, & tanquam in speculo formam animae suae, aut pulchram, aut turpem contempletur. Iurisque optimo Augustinus suam regulam, ob id speculum appellauit (quod aliis regulis sanctarum religionum congruit) quia huic ministerio deservit. Et bene, inquit Hugo, hunc libellum dicit speculum, quia in eo, tanquam in speculo, inspicere possumus, quales sumus, siue pulchri, siue foedi, siue iusti, siue iniusti, vtrum quisque nostrum regulariter viuat, vtrum proficiat, an deficiat: vtrum Deo placeat, an displiceat. Quid est speculum? Nonne vitrum aut crystallus, quod quidem clarum atque diaphanum, ex vna parte stamno, aut argento factum opacum, faciem hominis e regione positi representat? Talis omnino est regula. Clara est, quia sine ambagibus, aut obscuritatibus exponit quid sit faciendum, quid vitandum. Diaphana est, quia per eam, quasi per vitrum, qualem alij habeant vitae puritatem videmus. Et appositione alicuius opaca redditur, quia dum reflexione quadam ex vna parte eam obtegimus, & ad nos conuertimus, quales sumus, aperte perspicimus. Ibi cognoscimus maculam proprietatis, defectum purissimae castitatis, deformitatem inobedientiae, & reliqua vitia, quibus facies animae turpis apparet. Contempletur vultum interioris hominis nostri in hoc speculo, & maculas deprehensas, fletibus, & proposito emendationis, atque oppositis actibus abstergamus, sicque in omni virtute mirabiliter proficiamus.

Aug. in  
reg. cap.  
vii.

Hugo ad  
eundem  
locum.

*Custodiae Regulae pacem esse promissam.*

CAPVT VII.



REGAMVS hoc instrumentum ad comparandas virtutes praecipuum, & quae eius vsum persuadeant, quae etiam ratione ad actionem sit applicandum, breuiter explicemus. Quicumque hanc regulam sequuti fuerint, inquit Paulus, pax super illos & misericordia: quibus verbis custodientibus regulam, duo, nimirum pacem & misericordiam promittit. Illi quidem triplicem pacem, quam alio loco commemorauimus, cum Deo, cum proximis, & secum ipsis assequuntur. Pacem cum Deo habent: illam, cuius meminit Paulus, dicens: Iustificati ergo ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum nostrum Iesum Christum. Iustitiae origo non est proprium meritum, non opus liberi arbitrii, sed fides, quam a Deo accipimus, & reuelatis propter eius auctoritatem assentimur: iustitiae autem forma est gratia Dei, diffusa in cordibus nostris, qua Deo similes seu Deiformes efficiuntur: per hanc autem pacem cum Deo

Galat. 3.  
16.

Rom. 5. 1.

confe